Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 749

Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 32. p. 2. *Incipit Prologus Anshelmi Cantuarię Archiepiſcopi.* Initium: *Tres Tractatus pertinentes ad ſtudium ſacrę ſcripturę quondam feci* &c. Sequuntur *Capitula*, et mox: *Incipit Liber de ueritate Sub Dyalogo* (Magiſtri et Diſcipuli) *Editus. Primum Capitulum. Quoniam Deum veritatem eſſe credimus* &c. Extat edit. *Gerberon. Pariſ.* 1721. p. 109. f. ubi cum *Cod.* noſtro tam exacte conſonat, ut qui in eo mox ſub principium Libri *lineolam* literae *m* indicem, uti pronum eſt, non obſervet, putet, a Scriba idem admiſſum eſſe mendum, quod eſt in editis, videlicet: *velle ſcire*, pro *vellem ſcire*. Finis: *tunc eius dicitur veritas uel rectitudo.*

VII. *fol.* 43. Tractatus de Jure Canonico, quem Autor *Eccleſiaſticam Rhetoricam* adpellat. Initium: *Tam noui quam ueteris teſtamenti auctoritatibus edocti ſumus et fide firmiſſima tenemus. quod deus et dominus noſter equitatem diligit iniquitatem odit ut ait propheta* &c. Et mox: *Vnde eccleſiaſticam rethoricam in qua leges diuine iuſticie continentur uobis proponere neceſſarium duximus. In eius lectionis initio quedam ad ſubſequentium evidentiam ſunt prelibanda. materia vtilitas intentio modus agendi. Materia huius lectionis eſt eccleſiaſticę cenſurę diſceptatio. Vtilitas eius canonum cognitio. in eccleſiaſticis negotiis circumſpecta diſcretio. in dandis conſiliis prouida et expedita ratio. propoſitis queſtionibus ſubtilis et acuta reſponſio. omnium controuerſiarum facilis et rationabilis terminatio. Intentio eius eſt inſtruere perſonas in iudicio conſtituendas. partim ſecundum normam canonum. partim ſecundum artificioſam doctrinam rethorum. Modus agendi in hoc conſiſtit primo quot et que ſint predicte perſone. vnde dicantur. cuius auctoritate in negotiis conſtituantur. que ſint earum officia. que loca. que inſignia breuiter aſſignabitur. Poſtmodum de ipſis perſonis et earum officiis prolixius tractabitur.* &c. Habes Autoris ſcopum, quem per operis decurſum ita perſequitur, ut pro aevi ſui ratione vix quidquam in eo deſideres, quod ſacrarum literarum ſcientiam, Conciliorum, Canonum, Patrum, Decretorum Pontificiorum, quin Juris omnis notitiam adtinet. De ejus aetate ex eo ſtatues, quod *Alcuinum*, *Amalarium*, *Gregorium* VII. et *Gratianum* excitet. *Gallum* fuiſſe putem ex *adpellationis formulis*, quas ſub finem adfert: *Ego. h. eccleſie beate Marie cameracenſis canonicus licet indignus ſentiens me pregrauari a. h. remenſi archiepiſcopo. Vel ſi eſt poſt datam ſententiam. contra ſententiam a remenſi archiepiſcopo iniuſte in me prolatam. romanam ſedem uel audientiam appello et apoſtolos peto* &c. In detegendo tamen ejus nomine operam luſi. De generibus *Purgationum* agens, nobis *f.* 65. p. 1. haec adſignat: *Juramentum, candentis ferri iudicium et aque feruentis et monomachie*, addens: *Ex quibus una tan-*